

## CAPUT VI.

1. *Continuatio.*

**H**Astenus Propheta occupatus fuit in *denunciatione poenarum* Hebraeis propter peccata impendentium, ejusque confirmatione: Hoc capite se accingit ad *refutationem eorum*, quae Hebraei contra obtendere consueverant.

2. *Argumentum.*

Refutatur in hoc capite *praesidentia Hebraeorum*, quam partim in apparatu bellico: partim in impunitate, quam sibi ex favore DEI pollicebantur, collocabant.

3. *Partitio capitis.*

Duae igitur capitis hujus partes sunt. In 1. *refutatio praesidentiae*, quam Hebraei in apparatu bellico collocabant, usque ad vs. 10. In 2. autem *refutatio praesidentiae*, quam ipsi in impunitate ponebant, continetur, inde usque ad fin. capitis. Totum caput est *ἀναστροφὴ*, eine Widerlegung.

4. *Usus.*

Facile accommodari potest istud caput nostris moribus & temporibus, quibus pariter plus spei ponitur in praesidiis hominis, quam in auxilio Altissimi, & ubique passim regnat *securitas*.

*Explanatio 1. partis.*

Refutatio prioris *populi praesidentiae* constat 1. *ωρῶν* & 2. *ἀντιῶν*. In *ωρῶν* per *εἰρωνίαν* populo apparatus bellicus exprobratur; In *ἀντιῶν* verò *ωρῶν* isthac graviter ac solidè refutatur.

\* 1.

*Propositio* constat *Subjecto & Praedicato*. *Subjectum* constituuntur filii Benjamin i.e. *Judaei*, & maximè quidem *Hierosolymitani*; aut per *Synechdoch.* quandoquidem *tribus Benjamin* altera fuit pars regni *Juda*, vel quia *Hierosolyma* in tribu *Benjamin* sita erat; aut per infamiam propter scelus *Gibeah*, de quo *Jud. 19.* ut *Hos. 9, 9. c. 10, 9.* *Praedictum* porrò propositionis est ipse *apparatus bellicus*, quem *κατὰ μέτρον* propheticum diducit in *tres actus distinctos*, quorum (1) *Quod conscribant, instruant, educant militem.* (2) *Quod classicum*

cum